

Q. 248.

13

(x 204 5468)

Zb  
6805

תנצב"ח

De vitâ & morte,

*VIRI Amplissimi Consultissimiq;*

**DN. VITI HEYMANNI.**

**Laudatissimæ Reipubl. Dresdensis**

**Consulis Gravissimi, meritissimiq; &c.**

*Patroni sui Benefici ac Benigni, nunc Felicis & Beati,*

**ORATIO PARENTALIS**

**M. Joh. Bohemi, Poët. Cæs.**

**in Electorali Dresdâ Rectoris.**

Dresdæ, Typis Seyffertianis, Anno 1651.





Joh. Buxtorff. in Florilegio Hebr p. 201. ex Me-  
drasch Ruth cap. 5. vers. 3.

אֲשֶׁר יוֹשֵׁב אֶרֶץ שֵׂעִיר בְּשֵׁם טוֹב

מִן הָעוֹלָם:

Hoc est:

*Beatus ille homo, qui excedit cum nomine bono ex hoc  
mundo.*

**Tullius ita effert Paradox. 2.**

*Mors illis terribilis est, quorum cum vitâ omnia ex-  
tinguntur; non iis, quorum laus emori non po-  
test.*

in Florilegio Hebr p. 201. ex Me-  
drasch Ruth cap. 5. vers. 3.

Dreſde, Typis Schellerianis, Anno 1671.





VIRIS

*Amplissimis & Consultissimis,*

**DN. CAROLO FRIDERICO** Heymann /  
J. U. Candidato, Electoralis Reipubl,  
Dresdens. Prætori Dignissimo, &c.

**DN. GOTHOFREDO** Heymann /  
J. U. Doctori, Excellentissimo, Caufarumq; Pa-  
trono felicissimo, &c.

*ut &*

**CHRISTIANO** Heymann /  
ad omnia magna nato,  
*Et toti inclut & Domui Heymannianæ*

**Salutem, ac efficacem Spiritus Sancti consola-  
tionem ex animo precor.**



*IRI Honoratissimi, Fautores ac Amici observan-  
tissimè habendi, &c.* Non sine gravi quadam

animi consternatione, infaustus meas per-  
culitaures nuncius, PARENTEM VESTRUM,  
cujus valetudo in discrimen hætenus adducta fuerat,  
morbi contumaciâ elisum penitus, rerum naturæ ex-  
plevisse tandem, quod quicunq; lucem hausimus olim,  
debemus omnes. In summum itaq; vos luctum con-  
jectos esse, ingenuus rei arbiter juxta mecum spontè  
fatetur. Ex amore & æstimatione amissi grandescit  
dolor; dilectionisq; generositas desiderii vehemen-





*Job. Kirch. defun. Rom. l. 4. p. 626.* tiam intendit. Memorabilis est M. ANTONINI PII vox, qui quum Marcus Philosophus mortuum Educatores suos fleret, revocareturq; ab Aulicis ministris ab ostentatione pietatis, dixisse scribitur: *permittite illi, ut homo sit: neq; enim Philosophia vel imperium tollit adfectus.* Si ille Educatores suos ita deflevit, vestri doloris magnitudinem, altissimiq; vulneris plagam; qui PARENTEM, virum undiq; meritisimum, amisistis, quivis de facili intelligere potest. Omnino si vos a fortitudine animi ullo fortunæ impetu dimoveri passi fuissetis unquam; verendum jam esset, ne hunc, qui vos modo adfligit, casum ad infelicitatem quandam interpretaturi essetis: verum pietatem vestram reputantibus aliter videtur. Sed quid faciendum? Subductus est BEATUS ab illo, adversus quem neq; actio competit, & nulla vindicta suscipi potest. Quæ ille agit aut facit, non sub censum vocanda mortalibus. Qui licet secare ac urere videatur, non tamen iratus id facit, aut quia non optimè cupiat. *Tempus est nascendi; est & tempus moriendi.* Utrumq; a Deo. Utrumq; a Deo (sine cujus gratiâ tantundem possumus, quàm qui nunquam fuerunt) ridere nostrum ac flere: in utroq; tenere modum, sapientis est, adeoq; illius, qui non detrectat obsequi, cui parendum perpetuò. Omnium rerum suus quidam orbis, & ut sic dicam, transitus est. Nil quicquam tutum ab interitu. Certis cuncta eunt temporibus: nascuntur, crescunt, extinguuntur: & maxima quæq; mutationum procellis obnoxia sunt. Quæcunq; vides supra nos currere, & hæc, quibus innixi atq; impositi sumus veluti solidissimis, carpuntur ac desinunt. Nulli non sua



sua senectus est: Ætnam, ajunt ii, qui mare navigant, multò minori jam parte videri quàm antea conspici solitus sit. Nemo perpetuò vixit, & mortis *ἀντίδοτον* (ut primus doctrinarum & antiquitatis parens HOMERUS eam nuncupat) et inexorabilis vincula effugit. Et quid aliud est mortalitas ista nisi evanida bulla? quid *βίος*, nisi *βία*? quid *τῶν α*, nisi *σῆμα*? quid *χρῆμα*, nisi *πῶμα*? quid *δέμας*, nisi *δῶμος*? quid *γέρας*, nisi *εἰς τὸν γῆν ὄρος*, Quemadmodum igitur nivem hiemali tempore delapsam mitiori adspirante diei aurâ, aut sole eam radiis resolvente in aquam, unde profecta, mutari, non stupemus; & ut nemo miratur liquefactum, quod potuit liqvescere, sectum, quod erat sectile, exustum, quod exustile: ita mirandum non est, mortuum esse, qui erat mortalis. *Voluntas Domini*, (quæ ut fiat, quotidie in ORATIONE DOMINICA oratis) *facta est*, qui quicquid de nobis statuit, id statuit omne in nostrum bonum. Sustulit ille, quod dederat. Per mortem in vitam penetravit B. PARENS, vox ipsius SALVATORIS est, quæ & efficacissimum dolori præbet solatium. Quod dedit, recepit: quod accepit, restituit.

Statuite proinde luctui modum, & cogitate Vos dignos Deo vestro visos, in quibus experiretur Benignitas cœlestis, quàm patientes essetis. Nemo sine calamitate vivit; & nunquam fortuna servat tenorem, aut eodem vultu decurrit, quum & DAVIDI in summâ etiam felicitate vallis mortis obversentur.

Quumq; luctus & lacrimæ lenius mordere putentur, quas consimili dolore Alii humaniter frequentant, non potui, quin meam Vobis, AMICI, declararem

*Vita, vis & molestia: corpus, sepulcrum: nitor, cadaver: corpus, vinculum: nativitas, in terram dejectio.*

*Sphinx Philosoph. c. 36. p. 1126.*

*Reben / per convers. liter. Nebel. Sic CRAS est Sarcis.*



condolentiam, & B. PARENTIS memoriam, felicemq;  
nominis recordationem quæ non circumscripto vitæ  
curriculo metienda, sed cum omni posteritate ad-  
æqvanda, ad seros usq; transmitterem annos.

*Schekalim*

*c.2. Ber.*

*Rab. sect.*

*82.*

*Mors Omni-*

*um Rerum*

*Supremum.*

In quem finem, memor illius Hebræorum,  
: מוֹתֵר הַמֵּת בּוֹנֵן לוֹ נֶפֶשׁ עַל קְבֻרוֹ: *Resi-*  
*duum* (hoc est, ultimus honor, ut nos loqui solemus) *mor-*  
*tui est, quod ædificant ipsi monumentum super sepulcro ipsius,*  
hanc, heri in SPLENDIDISSIMO SUMMORUM VIRORUM  
confessu publicè recitatam, festinavi PARENTATIONEM,  
meumq; luctum, quem inde concepi, sum contestatus  
publicè. Quod officii genus partim B. DEFUNCTI de-  
bebam virtutibus, partim ejus in me meritis, quæ fanè  
tanta, ut studium nullum par esse possit, adeoq; , ut in-  
gratis vivam, nisi omnibus, quibus pro parvitate  
meâ modis possum, meam conniterer probare pieta-  
tem. Non poteram quidem non de Suffenorum mor-  
su virulento ipse pertimescere, quum tot propè sint  
sensus, quot capita, & cœlum ipsum pluviam vel sereni-  
tate suâ cunctis minimè placeat. Sed vicit PIETAS ET  
CANDOR. Et profectò, qui vivere velit, ubi non sit  
irrequietum & superciliosum obtrektorum genus, ei  
in hoc orbe non sint quærendæ terræ: sed magnis iti-  
neribus eundum sit ad Lunam, ubi terram novam jam  
olim somniabat *Xenophanes*, qui et suos sectatores inve-  
nit. Vos, *Viri Incluti*, qui paternarum virtutum Here-  
redes estis ac *Æmuli* si hunc supremum Parentis Honorem,  
benevolè (ut vestra in me singularis adfectio fidem fa-  
cit) accipietis, stimulo quasi excitatus, deinceps tempo-  
re HONORI VESTRO, ET TOTIUS SENATUS INCLUTI,  
latio-



latiore & latiore argumento assurgam, & aliquid EMI-  
NENTI HUIC ORDINI decorum & victurum, si Deus vi-  
tam concesserit, meditabor, æternoq; famæ templo in-  
feram. Valet, favete, DOMINI AC AMICI OB-  
SERVANDI, & cogitate, cæteras opes omnes casibus  
esse obnoxias: PIETATEM AC VIRTUTEM supra  
pericula esse posita & sola æterna.

*INCLUTA VIRTUTIS GLORIA SOLA MANET.*

Dab. in Electorali Dresdâ d. 26. Februar. Anno  
1651.

**Q**uum vacuum quoddam hîc adverteret Typo-  
theta, *πρόσκλησιν* hanc, quâ Auditores invitabantur,  
ut illi esset explendo, adjeci. Tuum erit *Lector*  
*Candide*, optimè omnia interpretari.

**Salutem & Observantiam!**

**I**ri omnium ordinum ac  
Dignitatum Honoratissimi, &c.

Apud Romanos libertate Reipubl. stante, consuetu-  
do inoleverat justa & honorifica, ut de virtutibus De-  
functorum Relicti dicerent, & præcipuè Propinqui &  
sanguine juncti. Quamquam verò ego nulla, neq;  
communione sanguinis, neq; propinquitate gentem  
attingo HEYMANNIANAM: existimo tamen, ad me;  
multas ob causas, pertinere has, quas in me suscepi, pa-  
rentandi partes. Constitui itaq; die, si DEUS dederit,  
craftini



craftini horis à 9. matutinis *de vita & morte Viri Amplis-*  
*simi & de Republ. Meritisimi Dn. VITI HEYMANNI,*  
*CONSULIS nostri Gravissimi, & c. breviter disserere.*  
Atq; inde Vos, *Viri Magni*, eâ quâ decet animi pietate  
& observantiâ veneror, quo finitâ concione sacrâ, ho-  
râ indigitatâ, aliis gravioribus negotiis paululum se-  
positis, in Auditorio Majori convenire, Laudationi  
huic interesse, & hunc supremum Honorem *Beatis-*  
*imo nostro HEYMANNO* præstare velitis. Et in primis  
Vos, qui vel hereditario vel propinquitatis nomine  
*CONSULEM* nostrum attingitis, decenter rogo, ut  
accedatis, nihilq; dignius augusta hereditate existime-  
tis, quàm quæ ab virtutis encomio proficiscatur. *Qui*  
*B. HEYMANNICANDOREM* amant, sponte suâ & ultrâ ve-  
*nient.* Dab. Dresdæ, d. 24. Febr. Anno 1651.



Leg.





בהנחה :



Egimus, *Auditores omnium Ordinum ac Dignitatum Honoratissimi &c.* in Veterum monumentis de Ennio, quod venterit mortem suam deplorare, & versiculos hosce, quos ipse fecerat, sepulcro suo jusserit incidi:

*Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu*

*Faxit. cur? volito vivu' per ora virum.*

De Solone verò scribitur, quod etiam depoposce-  
rit, ut pro se mortuo Amici lugerent. Quamvis autem  
Cicero Ennii orationem Solonis anteferat, quod ma-  
gni animi & sapientis esse putet, luctum contemnere,  
nec de eo, quid post mortem de nobis in his terris fiat,  
solicitem esse: plenior tamen humanitatis est & pie-  
tatis sententia Solonis. Etenim BONI VIRI, qui com-  
mune Bonum, si diem obeant suum, non desiderari  
saltem & deplorari; sed etiam justis adfici laudibus de-  
bent, adeoq; ipsorum memoria ad omnem usq; poste-  
ritatem, quantum in nobis situm, transmitti. Quem-  
admodum enim non temerè illustres nascuntur ani-  
mæ: sic aut concessas divinitus mortalium commodo  
venerari oportet, aut piâ recordatione, quoad licet,  
celebrare ereptas. Ne vel præsentis boni copia indignis  
facta videatur, vel justis priventur honoribus, quorum  
vita virtutibus eluxit, vel commodo careant, quorum  
mentes ad virtutum imitationem sunt componendæ

*I. Tuscul.  
p. m. 155.*

A

exem-

eg.





exemplis. Quæ quum ita sint, non video sanè, cui officiosa mea pietas iustius inservire debeat, quàm *Viro Amplissimo & de Bono Publico Meritissimo Dn. Vito Heymanno, inclut & Reipub. Dresd. Consuli Gravissimo & c.* quem vitâ longiori dignissimum, ante paucas septimanas præpropere nobis fato ereptum Pii omnes meritò lugent, ejusq; memoriam sacram & æternam esse volunt. Fateor equidem ultrò, & ingenuè largior, me adhuc mœroris vehementiâ præpeditum, ad tanti Viri laudes minimè asurgere posse. Quod enim in repentino animi motu fieri quandoq; videmus, ut omnes ejus vires derepentè percussæ obstupescant: itidem mihi accidit, quem inopina CONSULIS mors adeò percussit, ut offusa animo doloris caligo & studium industriamq; fregerit, & vocem mentemq; luctu eliserit. Nescio enim quo pacto animus noster sibi ipse succumbit, & quicquid languor ægrè effert, involvere silentio amat. Curæ parvæ loquuntur, ingentes stupent. Ita fit, ut quântum studii ad dicendum propensa erga Defunctum nostrum Voluntas mihi adfert, tantum facultatis dolor detrahat, qui frangere potest animos & debilitare etiam exercitatisimos. Atq; hinc non ea omnia, quæ in vitâ ejus fortunisq; fuere notabilia, accuratè à me enumerata expectate. Siquidem multis de industriâ præteritis, ex infinito laudum numero capita modò rerum & fastigia decerpam breviter atq; delibabo.

Totus autem in eo versabor, ut quia pulchrum est, Bonis nasci; præstantius multò, honestè vitam degere beneq; de omnibus mereri: beatissimum autem piè sancteq; terris excedere: omnes intelligatis *Heymannum nostrum*, nec in primo infelicem: et in proximo



ximo felicitate cum multis certantem : et in præclaris-  
 simo verè beatissimum, nullo certè inferiorem, fuisse.  
 Quod si apud veteres homines à verâ pietate longè re-  
 motos, Deorum propemodum honores tributi sunt iis,  
 qui præclarè meriti mortem obiissent, eorumq; laudes  
 nō tantū Oratorum voce celebratæ, sed statuis & omni  
 monumentorum genere proditæ sunt Posteritati: ne-  
 mo adeò iniquus rerum censor erit, qui Consuli nostro  
 iteratum hunc Verborum honorem inuidebit. Atq;  
 inde non est, ( quemadmodum tacitus mecum augu-  
 ror ) quod, *Auditores Gratosi*, vestram orem audienti-  
 am, exorem faventiam, quum Vos pro Vestrà humani-  
 te insigni, & benevolentia illustri, utramq; & spondea-  
 tis & præstetis.

Quò itaq; ab ipsis ordiamur incunabulis, natale ei  
 solum Misnia obtigit, tellus fundo admodum fertili, &  
 cui laudibus certare minimè valent

*non Bactra, nec Indi,  
 Totaq; thuriferis Panchaia pinguis arenis.  
 Sed neq; Medorum Sylva, ditissima terra,  
 Nec pulcher Ganges, atq; auro turbidus Hermus.*

*Virgil. 2.  
 Georg. v. 136*

Quæ etsi non levia sint: majus tamen illud, quod  
 præclara semper dedit ingenia, quæ cum aliarum arti-  
 um omnium capacissima fuerint; tum sub utraq; Pal-  
 lade, armatâ, togatâ, egregia fecerint stipendia. Est in  
 eâ Oppidulum *Bernstein*/ magnifica arce exornatum,  
 quod generosis metalli venis nobile, & ut cum Poëta  
 loquar,

*non è paupere quondam  
 Spem fodiens venâ.*

In quo susceptus fuit in hanc lucem Beatus noster  
 & felicissimis vitæ auspiciis frui cœpit. Mensis erat



*Bucholc.  
Chron. p.  
714.*

anni formosissimus, quem Junium dicimus: quasi ipsa  
universi Natura, ubiq; sapiens, ac justa, alumno elegan-  
tis ingenii, eleganti quoq; tempestate obstetricari vel-  
let. Dies affulgebat duodecimus, hora 5. matutina.  
Quo ipso die & salubri Baptismatis rore sparsus, libro  
Vitæ inscriptus fuit, Nomenq; VITI adeptus. Nume-  
rabatur tum à Christo nato annus supra millesimum  
quingentesimum nonagesimus secundus. Quo visi-  
tatio Academiarum Witebergensis et Lipsiensis, Ec-  
clesiarumq; in Saxoniâ & Misniâ, mandato Friderici  
Wilhelmi Ducis & Administratoris Electoratus Saxo-  
niæ instituta, & prior status Religionis mutatus est. Sed  
hujusmodi, quæ ad natalem, vel locum vel diem per-  
tinent, decoris quidem aliquid afferre videntur: attamen  
ferè communia sunt deterrimis cum optimis, in-  
fimis juxta ac summis. Quare ea potius consecremur,  
quæ magis propria Beato nostro fuerunt. Quale est  
illud, quod ei ex honestis & Bonis contigerit nasci.  
Patrem enim nactus est Virum Honoratissimum Da-  
videm Heymannum, ibidem loci rerum metallicarum  
Magistrum: Matrem verò Christinam, lectissimam Fœ-  
minam, Viti Losenii Filiam: Qui piissimi Parentes diu  
inter suos vixere, summis æquè atq; infimis grati ac-  
ceptiq;.

In Puerō statim ex adspectu ipso præclara eluxit  
indoles, satisq; apparuit, quantum opere sciti corporis de-  
cōrem, quo dotatus erat pulchrior longè anima exsu-  
peraret. Mores enim compositi erant, & suaves, ut  
facilè omnes in sui pelliceret amorem. Ingenium  
felix, & supra ætatem sapiens, non modò ad aliquid ca-  
piendum; sed & reservandum, virtus cœlestis largita  
fue-



fuerat, cuius solius est, divinitati vicinior & fingere mentem & indere corpori. His impulsi Parentes, utpotè qui Literas & Literatos reverenter habebant, prolixo prosequerantur amore, magniq; æstima- bant, Filiolum, studiorum causà, Dresdam mise- runt. Ubi ille in Schola Publica in iis Doctrinis, qui- bus puerilis ætas ad pietatem & humanitatem infor- mari solet, fideliter instructus fuit, (quam Præcepto- rum diligentiam & per omnem vitam grato de pædi- cabat animo,) et laudabiles in Literis fecit progressus, celeriterq; omnibus, ut qui diviniore indolis esset, an- tecellere ingenii glorià cœpit. Dein Fribergam con- cesit, et tandem de sententiâ Præceptorum, à quibus dignus dijudicatus fuerat, ut Academica auspicaretur Studia, Witebergam se contulit, inq; numerum Studi- orum receptus fuit. Ubi ultra biennium Literis o- peram navavit, & Jurisprudentiæ studiis animum adje- cit, Virosq; Clarissimos de rebus gravissimis diseren- tes, quâ publicè quâ privatim, audivit, atq; ejusmodi posuit eruditionis fundamenta, quibus nihil non su- perstrui potuisset. Et quamvis votorum summa ipsi esset; ut si non ad supremum doctrinæ gradum adspi- rare valeret, at saltem longius paulò collocaretur ex- tra vulgares illas & curvas animas in spissis inscitæ te- nebris jacentes; & propterea constitueret studia Aca- demica feliciter incepta continuare, iisdemq; porrò operari; tamen ab omni ope derelictus coactus fuit mentem mutare, & inde discedere. Atq; ita ardorem ejus sumptuum defectus, ut sic dixerim, sufflaminavit, inopiæq; accidit infelicitate, ut præclarum hoc ingeni- um ad alia Bono Publico salutaria se feliciter applica-





ret. Electoralem nempe Drēsdam, quippe quæ pue-  
ro placuerat, & studiorum Mater fuerat, repetiit, ibiq;  
ad amicitiam magnorum JureConsultorum, quorum  
nomina venerabunda pietas nostra tacitè honorat, ac-  
cessit, & ad omnia arcana admissus, omniumq; consili-  
orum particeps fuit. Huncq; amicitiae locum apud  
eos aliquot annos tenuit. Postmodum in intimam  
pervenit familiaritatem Johannis Sinapii J. C. tum  
temporis Eximii. Apud quem eodem gradu fuit tri-  
ennium, quiet eum tantopere complectebatur, ut  
quicquid è nobilioribus jurisScitis possideret, id omne  
juberet usibus inservire Heymanni nostri. Etenim  
omnes, qui aliquid de ingeniis poterant judicare, co-  
gnitione atq; favore eum dignum existimabant. Hac  
celebritate famæ quum esset, & jam Privilegia Notari-  
atus consequutus, forum attigit, & nihil prius ac an-  
tiquius habuit, quàm ut Amicis consulere, & fidem  
ac integritatem suam omnibus probaret. Clientium  
negotia fideliter procurabat, seq; iis totum consecra-  
bat. In nitendo, quod semel admiserat, tanta erat  
cura, ut non mandatā, sed suam rem videretur agere.  
Nunquam etiam suscepti negotii eum pertaxum est.  
Suam enim existimationem in ea re agi putabat, quā  
nihil habebat charius. Quo fiebat, ut summis Viris  
innotesceret, qui & ejus sedulitatem ac industriam a-  
deò commendabant, ut ejus dextenitati atq; fidei di-  
versa hinc inde negotia forensia, & judiciorum Admi-  
nistrations committerentur. Erat enim in eo judi-  
cii rectitudo, antiqua Virtus, ac integritas cum eximia  
modestia. Splendorem fucatum oderat, & ab ambi-  
tione penitus abhorrebat. Ideoq; à Serenis. Elect.  
Saxon.



Saxoniae, Domino nostro Clementissimo, qui virtutes ex merito aestimare, & honores merentibus tribuere solet, Anno 1618. ea pramia accepit, quae virtuti eius debebantur. Stabuli nimirum Electoralis cura ei imposita est. Quo officio non minore dexteritate quam fide per totos viginti & quinque annos functus est, atque ita ut non tantum Cordatissimus Princeps eius laudaret industriam, & studium gratiosissime probaret; sed & Summis pariter ac Inimicis gratus ille esset atque acceptus. Quum alias difficile sit utriusque placere. Plerumque enim fit in vita mortalium, ut magnas virtutes aemulatio aliorum retardet, easque saepe in ipso ortu, atque in herba, dum enascuntur, opprimat, ne qui ipsi pravi degeneresque aut ignavi sunt, ex meliorum comparatione evalescant. Quapropter, qui sub ipsius inspectione & fide erant, non tantum, quum clementissime dimitteretur, dolebant, sed etiamnum in praesens eum nimium citò ereptum tristantur.

Quumque ita fama eius & existimatio, Pietas & Candor, vitae Integritas & Labor, magis magisque omnibus amabilem & acceptum eum reddidissent, & omnium studium sibi atque amorem conciliasset, Senatus Amplissimus motus, unanimi voto, in honoratissimum Senatorum Collegium eum Anno 1636. die 14. Maii, cooptavit. Constituto sic in Senatoris locum non ita post alia obtigerunt Dignitates. Nam & Epoptia seu Scholae Inspectio, & aedilitius Honor, & Camerae cura ipsi fuit demandata. In quibus functionibus omnibus quid praestiterit, quantumque de Bono Publico meruerit, notius est, quam ut ostensione aliqua egeat. Arcana status,



status, & Secreta Reipul. ut Oracula & Myſteria, ut ipſe callebat: ita ſilentio, optimo illo ac tutiſſimo rerum adminiſtrandarum vinculo obvelabat; probè ſcilicet expertus, res magnas ſuſtineri ab eo non poſſe, cui tacere eſt grave. Summatim, abundè probabat ſe & vigilantia & fide & rerum gerendarum uſu valere plurimùm. Id quod ſi rotundo hic ore dixero, nihil facturus ſum, quod quis jure reprehendere queat. Deſunctorum enim laudes fidenter eloqui ſine aſſentationis ſpecie, ac ſine cuiusquam invidia licet. Nam nec eorum verecundia vis ulla fit, & ex vero magis omnia celebrari intelliguntur, quum nihil ab illis ſpeteretur amplius, ac nec præmio nec gratia locus ſit. Quæ proſectò in viventium laudatione ſecus fiunt.

Tale itaq; vivendi genus inſtituebat Noſter, ut laudari poſſet in omnibus, integro veritatis candore, Pietate ac Juſtitia, quibus civitates conſtant, & Republica conſervantur, nihil erat quod non poſthabebat. Honèſti ac recti pertinax in eo erat animus: tum ſincerus, & ab omni adulationis humilitate alienus. Magiſtratu ſuo fidelis erat. Parentes miro honore adſiciebat, & ſenio jam conſectos per aliquot annos, laudabili & pluribus imitando exemplo, alebat. Pedibus tardos, artibus curvos, manibus debiles, corpore tremulos, viſu caligantes, omni pietate proſequabatur, ſummâ cum diligentia fovebat, recordatus, eſſe huius indulgentia in quibusdam avibus exempla, ut nutrimenta ſenſcentibus ætas prima viciffim comportet. Ciconia fanè quum Parentes pennas ſenio coquente laxant, nec proprios cibos

quæ



quarere valent, plumis suis frigida genitorum membra  
refovent, escis lassâ reficiunt corpora, & donec in pri-  
stinum vigorem alis grandæva redeat, piâ vicissitudine  
juvenes reddunt, quod à parentibus parvuli accepe-  
runt. Eloquentiam & verborum suavitate blandam,  
& rerum pondere gravem sibi comparaverat, naturæq;  
dotibus, quas in ejus pectore vis cœli benignior collo-  
caverat, subtilius de rebus differere poterat. Menda-  
cium neq; dicebat, neq; pati poterat: inconstantia, im-  
probitatis ac levitatis os acerrimus. Verba suspensa,  
tortuosa & confragosa cane pejus & angue odio prose-  
quebatur. Adfectus rationis usu facilè superabat, in iisq;  
comprimendis facillimus erat. Meminerat enim,  
amicitias immortales, mortales inimicitias esse oportere.  
Ejus comitas non sine severitate erat, neq; gra-  
vitas sine facilitate: ut difficilè esset intellectu utrum  
eum amici magis vererentur, quàm amarent. Quic-  
quid rogabatur, religiosè promittebat, quod non libe-  
ralis, sed levis arbitrabatur, polliceri, quod præstare  
non posset. Animum extra fortunæ arbitrium po-  
suerat, nec patiebatur aut secundis efferri, aut adversis  
prosterni. Non spes favoris flectebat eum, non me-  
tus offensæ transversum abripiebat. Non movebat  
asinus aurum portans, nec inanes loculi à tramite recti  
deducebant. Instar *Marpesiae cautis* immotus resiste-  
bat. Instar *Capitolini Terminis* & *Juventæ* suo dejici &  
depelli loco non poterat, si res agenda seria, & honesti  
linea premenda. Quod esset ex usu Communis Boni,  
semper quærebat, omnesq; vigilias, omnes curas, o-  
mnes cogitationes in salute Reipubl. configebat.  
Quemadmodum *Palinurus* ille in vastissimo æqvore

*Cassiodor.*

*l. 2. Ep. 14.*

B

non



non solum de die gubernabat, sed ipsâ quoq; tenebro-  
sâ & intempestâ nocte

*Lib. 5. Æn.*  
*v. 852.*

- - *clavumq; adfixus & herens*

*Nusquam mittebat, oculosq; sub astra tenebat.*

Ejusmodi vigilantia ac solertia pro singulorum salute excubandi in eo observabatur. Possem plura, sed cohibeo me, quod vereri subeat, ne ad immodestiam, vel certè ad adfectum iniquior interpretetur iudex.

Quum anno millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio, Viri & pietate & meritis Graves fati concederent, & Curia quibusdam orbata esset Timuchis, altius adscendit, etenim Princeps

- - *Consulis arma decusq;*

*Induit, atq; sui ius sit caput esse Senatus.*

Ubi & Leubnicensem in se suscepit administrandam Provinciam. In quo munere qualem se præbuerit, si dicere incipiam, hujus Orationis difficilius erit exitum, quàm principium invenire. Vos, PATRES Honoratissimi, qui Collegæ & præsentis fuistis, testes esse atq; arbitros cupio, quæ ejus fides, cura, ac vigilantia in urbanis negotiis semper fuerit. Quanto nosceretur penitius, tanto majora in eo virtutum axiomata conspiciebantur. Ex Socratis enim consilio, quum validiora sint exempla, quàm verba, & plenius opere doceatur, quàm voce, semper operam dabat, ut is foret, quem haberi se vellet: quo uno non alia est melior & expeditior ad solidam gloriam via. Atq; inde summis viris hîc & alibi carus fuit, & magnum sine dubio sui desiderium apud non paucos reliquit virtute & dignitate Illustres. Certè *Potentissimus Elector Saxonie, Pater Patriæ Clementissimus*, apud quem peculiari florebat.



bat gratiâ, quum tristis ille de ejus obitu nuncius Sere-  
nissimas aures percelleret, consternatus dixit: OPTI-  
MUS ILLE VITUS NOSTER ETIAM ABIIT. Et patheticis  
planè verbis eum luxit, ita ut facilè de singulari ejus in  
eum amore Audientibus constare potuerit. Omni-  
bus ita fide, judicio, probitate & ingenuitate se pro-  
babat maximè, quum esset ingenio ad civilem vitam  
non factus, sed natus.

Propensissimo semper erat in Scholam adfectu,  
cujus ornamenta, commoda, augmenta, quibuscunq;  
poterat modis, juvabat augebatq;. Nullum fermè  
diem sine beneficio trans mittebat, & agrè patiebatur  
à se quicquam peti, obviâ benignitate preces antever-  
re gestiens. Quem benignitatis tenorem mihi præ-  
stabat perpetuò, & nihil quicquam unquam rogatus de-  
negabat, imitatus Augustum, qui Maronem nunquam  
à se tristem abire patiebatur. Id quod ultrò & candidè,  
sed cum modestiæ præfatione, deprædico hîc, & con-  
testor publicè. Multa prætereunda sunt, ne modum  
excedam, quæ tamen ad exemplum intererat cum cu-  
rà narrasse.

Sannazarius Poëta, \* *Virgilio Musâ proximus, & tu-  
mulo*, Hexastichon in laudem urbis venetæ condi-  
dit:

*Viderat Hadriacis venetam Neptunus in undis*

*Stare urbem, & toto ponere jura mari.*

*Nunc mihi Tarpeias quantumvis Juppiter arces*

*Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.*

*Si pelago Tibrim præfers: urbem adspice utramq;*

*Illam homines, dices, hanc posuisse Deos.*

B 2

QVO Musa Teut  
in præfat.

\* Bemb. in  
Epitaph.

Francisc.

Schottus &

H. Capugn.

in Itiner.

Ital. l. i. ve-  
net.

Joh. Bapt.

Crispus in

vitâ Sana-

zarii.

Joh. Ristii

Musa Teut

in præfat.



*Quum Vir-*  
*gilius lib. 6.* *Senatus venetus, ut in familiari contemptu atq; pau-*  
*Æn. presen-* *perie Poëtarum, Autorem sexcentis Ducatis donave-*  
*te Augusto* *rit. Similem liberalitatem refert Caspar Dornavius*  
*Et sorore* *de suo Smirzicio Lib. Barone Generosissimo, à quo pro*  
*Octavia.* *Invidia Encomio, pro exili, ut ipse Dornavius \* nuncu-*  
*pronunciâs-* *pat, Epistolâ, quingentos Joachimicos donarii ergo*  
*set, Et adv.* *accepit. Beatum nostrum non quidem Senatui veneto*  
*885. perve-* *comparo, vel Baroni illi Smirzicio: munificentia ta-*  
*nisset, Octa-* *men ejus, quâ templa hinc inde splendide ornavit, &*  
*via Marcelli* *Scholam nostram, ita dotavit, ut identidem honori-*  
*mater de-* *ficam memoriam ejus gratâ mente refricare, obstricta*  
*fecit: Et* *fit, hic loci minimè prætereunda, sed gratâ mente ce-*  
*agrè refo-* *lebranda. Insolens consuetudo insolentis seculi,*  
*cillata de-* *quod jam non amplius aureum, neq; argenteum, neq;*  
*na sester-* *ferreum, sed vix terreum est. Paucis dabo multa &*  
*tia, id est* *sine supperlatione oratoriâ loquar: Cum PIETATE vir-*  
*250. corona-* *tutum reginâ, se in eo consociabant BENIGNITAS, CO-*  
*tos, pro sin-* *MITAS, CANDOR, CONSTANTIA. Quæ sanè supra uni-*  
*gulis versi-* *versa encomiorum ornamenta longè ponenda. Atq;*  
*bus dari* *ut olim tribunitiæ domus fores noctu simul & inter-*  
*jussit, h. e.* *diu omnibus patebant civibus: ita Heymanni auxi-*  
*pro 21. vers.* *lium implorare templis Deorum licebat, Scholarum*  
*5250. Coron.* *pulpitis concedebatur, litibus forensibus & omnibus*  
*\* in Princi-* *permittebatur liberum.*

Ad matrimonium ejus venio: de quo dum verba  
 non nisi per compendium facio, rædium quæso, si quod  
 concepistis, *Auditores Gratosi*, deponite; reliqua cum  
 lubentiâ excipite. Anno millesimo sexcentesimo  
 decimo Octavo, die vigesimo quarto Novembris, uxo-  
 rem duxit virginem lectissimam honestissimamque  
 An-



Annam Mariam Johannis Sinapii Icti, viri Nobilitate  
& Amplitudine præcellentis, sed doctrinâ ac integrita-  
te animi longè commendationis, Filiam.

Cum quâ per triginta duos & quod excurrit an-  
nos, pacatissimè & quietissimè vixit. Quam & ut ocu-  
lorum suorum delicias amabat, quæ ipsius vices, quum  
ille publicis negotiis occuparetur, obiret, & quò, si ex  
strepitu forensi & aulico domum rediret, confugere,  
ubi conqviescere, cujus in sermone & suavitate  
omnes curas deponere posset. Quæ virtutis tan-  
tâ instructa dote, quanta in seqvioris sexus decus  
cadere potest. Munus autem illud fortunæ fuit, ut  
Domus quæ hujus juventuti vel prima fuit, eadem  
postmodum esset ad finis & intima. Ex quâ & octo,  
divinâ benedictione, suscepit liberos, quorum qua-  
tuor in æternam Patriam præmisit, quos mors indigna  
abripuit, seu, ut cum Poëta loquar:

*Abstulit atra dies & funere mersit acerbo.*

Et quidem priores tres *mediâ cecidere juventâ,*

*Invida florentes quorum abscidit Atropos annos:*

*Qualia pallentes declinant lilia culmos,*

*Pubentesq; rosa primos moniuntur ad Austros,*

*Aut ubi verna novis exspirat purpura pratis.*

Johannes Ditericus verò, postquam Americam  
& populos occidentales maximam partem felicissimè  
perlustraverat, & in itinere Affricano ad CAPUT BONÆ  
SPEI periculosissimum naufragium fecerat, adeoq; *Odyf. 1.*

- - - *πλάγχθη μάλα πολλὰ*

*πολλῶν ἄνδρων ἰδὲν ἄσπεα, καὶ νόον ἔγνε.*

hoc est, ut versiculum Mœonii vatis in Latiale elo-  
quium transfundam,





- - - *multum terris jactatus & alto*  
*Multorum mores hominum & cum moribus urbes*  
*Viderat, In Indiâ orientali, è Javâ majore, in quâ diu sub-*  
*stiterat, in Insulam Ceilan, quæ Incolis Tenarisin dicitur,*  
*ablegatus, à latronibus profligatissimis miserè interfe-*  
*ctus fuit; Juvenis, si sincerè & candidè loqui atq; judi-*  
*care velimus, præ aliis longè dignissimus, quem & pa-*  
*catius seculum, & in eo plures insuper anni exciperent,*  
*quò, quæ longâ peregrinatione didicerat præclara, in*  
*Reipubl. commoda, Patriæ Decus, impendere po-*  
*tuisset.*

Quatuor superstites, cum Matre, viduâ mœstis-  
sima, Parentem falsis lacrumis prosequuntur, nempe  
Carolus Fridericus J. U. Candidatus, & inclutæ Rei-  
publ. Dresd. Prætor Dignissimus.

Gothofredus J. U. Doctor & Causarum Patronus Exi-  
mius. Qui utriq; *Parentis* virtutem pulcherrima imita-  
tione reddunt illustriorem.

Christianus, cui idem exopto, quod Hector Astyana-  
cti Filiolo precabatur, hoc est, ut Patre suo multò quon-  
dam evadat melior. Aut si hoc nimium, ut saltem ejus  
virtutes & felicitatem æquet.

Et Anna Maria, primò quidem Christiano Hertzog  
*Sereniss. Principis ac Domini, Dn. Joh. Georgii, Principis*  
*Juventutis Germanicæ, Secretario Intimo; jam verò,*  
quum hic vivere desisset Maritus, Christiano Nicolai  
J. U. Doctori Excellensissimo sociata.

Reliquum esset, cæteras quoq; *Heymanni* no-  
stri civiles attingere virtutes, suisq; descriptas colori-  
bus vobis ostendere, sed quum earum selectam con-  
cinnitatem orationis meæ tenuitas non possit assequi,  
& ele-



& eleganti sua Suadâ ac facundia, quâ præprimis pol-  
let, *Vir Reverendus & Clarissimus Dn. M. Christianus*  
*Zimmermann* / *Ecclesiastes noster longè meritisimus*, pro  
Concione satis disertè & nervosè illas ipsas comme-  
moraverit, tersis vestris auribus tædium parere nolo.  
Unum, quò ipsius purpuræ meos assuam panniculos,  
addo, *Defunctum* nostrum nihil antiquius habuisse pie-  
tate, nihil potius sanctiusq;. Sacrum Codicem assi-  
duè manibus versabat suis. Divina volumina, & præ-  
sertim Scripta B. Lutheri studiosè lectitabat, & mul-  
tum inde solatii hauriebat in adversitatibus, quarum  
minimè quoq; expers erat. Quisq; enim suos patimur  
manes, & quilibet suos habet osos & rosos.

*Ips vineas & cornua,*  
*frumenta cis, trips arbores,*  
*Is vitra, sis velamina,*  
*Fabas midas, arrodere,*  
*Nascuntur à quibus, solent:*  
*Nihil minus sic, à quibus*  
*ferunt iniquam gratiam,*  
*Consul, Magister, & Parens,*  
*Tutor, Patronus ac Herus,*  
*Ipes, cies, trips, ies,*  
*sites, midasq; habent suos.*

Sic & eum suis circumflabant ventis malevoli.  
Quorum omni tempore tanta solet esse copia, ut eo-  
rum numerum nec inire possit Archytas Tarentinus, *Horat. l.*

*Quem maris & terra, numeroq; carentis arena,* *Od. 28.*

Mensorem perhibet vates Venusinus. Humanæ nempe  
euiq; felicitati hæc dicta lex est, ut quanta illa cuiquam  
contingat, nulli sincera tamen veniat, sed quodam  
tem-



temperamento mellis & fellis perpetuò permista,  
*ita ut facile felicitati Syllaba adcreseat.* Dei hæc est vo-  
luntas, qui, quos amat fortiter, ærumnis & doloribus  
exercet gnaviter, & sequitur in Piis eandem rationem,  
quam in Discipulis suis Præceptores; qui plus Laboris  
ab his exigunt, in quibus spes certior est. Marcet si-  
quidem sine adversario virtus; nec fert ullum ictum  
illæsa felicitas. Sed ubi assiduè cum incommodis lu-  
ctata, callum per injurias & miseras obduxit, nulli suc-  
cumbit malo; & si ceciderit, de genu pugnat. Sic &  
*Heymannus* quamvis invidia turbines sævirent, non ta-  
men heroici animi vir animum despondebat. In  
fundendis quæ privatim quæ publicè precibus devotis-  
simus erat. In obeundis sacris & frequentandis reli-  
gionis causâ templis creberrimus. In auscultandis  
sermonibus sacris attentissimus, & ita pietatis laudem  
non tam adfectabat, quam tenebat. Nec enim illum,

- - *de tramite recto*

*Impia sacrilega flexit contagio turba:*

*Sed vitæ rimatus iter melioris & altâ*

*Mente Dei Leges noctesq; diesq; revolvit.*

Hinc, ut observantissimus erat Numinis, ita plu-  
rima ejus maximaq; constabant in opis indigos huma-  
nitatis officia. Quandoquidem libenter ac prom-  
ptè omnes, quibus poterat prodesse, juvabat. Quo  
consequabatur, ut æquè ipsum & omnes amarent,  
omnes ingeminarent: *quantum instar in ipso est!* juxta  
illud: *ut ameris amabilis esto:* Non efferebatur animo,  
*per ipsum quadrata rotunda.* Non venditabat se: quia  
pius erat, quia non immeminens erat, se aliunde omnia,  
quæ haberet, accepisse: quia Dei potentis manui se

totum



totum submittebat. Abhorrebat ab omni fastu: quia  
*seipsum noverat*. Monstrositas in vestitu nulla, omnis le-  
nocinii negligens erat. Non erat ex illis, quibus calli-  
ditas, & *picta tectoria lingua* pro sapientiâ. Verba *Pers. sat. 5.*  
perinde erant, atque ejus erat animus. Vir erat *25.*  
ingenio sublimi, judicio acri, dexteritate admirabili.  
Quantum Lynceus straboni, aquila talpæ, serpens ve-  
spertilioni præstat: tantò acutius, quid opus facto, vi-  
debat, & nihilosecius tamen non insolescebat, quia  
sciebat fortunam vitream, & quum maximè splendet,  
plerumq; frangi. Spicæ plenæ terrâ versus inflectuntur,  
sed inanes sursum eriguntur. Canes timidi vehemen-  
tius latrant. Vesica vacua crepat, repleta tacet. Flu-  
mina quâ parte tranquilla sunt, & angusto videntur al-  
veo, eò profundiora esse solent: ac rursus latè excur-  
rentia, & oculis intuentium majorem, quàm pro mo-  
do fluminis, speciem exhibentia, facilè vadari possunt:  
ita plerumq; solida vel eruditio vel virtus apud mode-  
sta reperitur ingenia, non apud eos, qui novi musti in-  
star ebullientes & jactabundi, umbram pro corpore  
ostentant. Nihil in eo superbiæ ac fastus erat; nihil  
morosi supercilii. Fidem fallere, pacta violare, bul-  
latis nugis decipere, in turpissimis esse ducebat. Ver-  
sipelles illos Chamæleontes, *qui quæstui habent*, ut vel *Plaut. Pæn.*  
primi commatis Comicus ait, *malè loqui melioribus:* *Act. 3. sc. 3.*  
illos bisulcæ & duplicis linguæ Catalinas, qui *v. 10.*  
aliud in pectore clausum, aliud in ore promptum ha-  
bent; aliud malitiosâ cogitatione tractant, aliud fictâ  
fermonis bonitate proloquuntur, & composita dicta  
suo evolvunt pectore, quæ cum componas, dicta factis  
discrepant; qui aliud stantes, aliud sedentes dicunt;  
C  
qui



qui ex eodem ore calidum & frigidum efflant, qui aliud heri, aliud hodie & cras aliud sentiunt, minusq; cautis os sublinentes,

*Pers. sat. 3.*  
*v. 87.*

*Ingeminant tremulos naso crispante cachinnos,*  
pessimè oderat, sicq; suo docebat exemplo, non omnem ad superos fidem avolâsse. Quibus laudibus minimè privandus est, ut in exemplum legi possint & disci.

Verum non est, quod omnes, quæ in Beato nostro effulsere virtutes prolixius percenseam. Vereor enim, ne, dum ejus laudes ulterius persequor, vel virtutes illius quasi paucas, & recensitu faciles, minoris æstimationis facere velle videri possim, vel illud Antalcidæ mihi possit objici, qui quum quendam Herculis encomium instituere audisset, *num quis igitur, inquit, illum vituperavit?* sentiens supervacaneum esse, laudari id, quod laude non indigeat, quodq; apud omnes in confesso.

Nemo igitur mihi memoriam *Beati nostri Heymanni*, brevi, sed officiosâ oratione, quâ candidè, sine fuce & mangonio, VIRO meritissimo parentavi, Posteritati commendanti, manesq; sanctos ultimo pietatis officio prosequenti, vitio vertet, nisi aut turbo occentans, qui facere aufit

*Candida de nigris, & de candentibus atra:*

Aut Psylli forsitan, qui venena tantum exsugunt, qui papulas & vitiligines observant alienas, ipsi obsiti plurimis ulceribus: qui nævos & verrucas derident alienas, ipsi scabie & psorâ obsessi fœdissimâ: qui aliena vitia in oculis, in tergo sua habent. Nemo, opinor, obstrepet mihi, quum nihil tam humanum sit quàm mor-



mortalitatis humanæ meminisse, adeoq; morte occupatos è mortis faucibus, si quâ ratione possit fieri, eripere & viventibus redonare. Sic & apud Ethnicos, quum exsequiæ peragerentur, circumfusa populi corona, adicendebat quidam de virtutibus mortui dicturus: quod & Fabius faciebat, oratione in funere filii habita, quam scriptis postea mandatam edebat.

*Dion. Halicarn. l. 5.*

*Polyb. lib. 6.*

*Plutarch. in Vit.*

*Mens inde DEFUNCTI pia est, si quid potest,*

*Auxis se gaudet Nominis famam MEI.*

*Per se quidem decora VIRTUS non eget*

*Encomiaste; non tamen testes probos*

*Fastidit alma DIVA: sufficiens sibi*

*Quæ sisse laudes non cupit, datas capit.*

Venio jam ad *ultimam rerum lineam*, qua curriculum vitæ illius divinitus fuit definitum. Ante tres plus minus menses, malignè ut plurimum valere cœpit, & pejus pejusq; indies habere. Mirè omne prosternebatur vitale robur. Ex longo enim & diuturno ciborum fastidio, omnis flos corporis ac vigor decidebat. Ille tamen, ut erat immoderati adversus se imperii, quum rem inimicissimam corpori suo faceret, & in laboribus perduraret, vetari nullo modo poterat. Ingens inde universum invadebat corpus languor, quem ex interno, quo infestabatur, quiq; in temperamento exsuperabat, calore contraxerat. Donec tandem sub finem anni superioris noctu, gravissimâ Pleuritide, non sine turbulento somno, tentari & concuti cœpit, adeò ut sequenti die Veneris, omnibus corporis viribus dejectis, prostratis, elisis, penitus decumbere necesse haberet. Et quamvis Peritissimorum



Medicorum artes ac opes adhiberentur, nihilq; non ageretur, ut ingruentis mali vis dissipari ac frangi, & valetudo recuperari posset, omne tamen studium navabatur frustra, & nihil praesidii auxiliique adferebatur, quod non elideret contumax vis morbi atq; infringeret. Omnem nempe vim adimit Deus medicamentis, quum animae corporisque fieri debet divortium.

*Esa 38. v. 1.* Quum itaq; videret non esse transitoriam nubes-  
culam, sed tempestatem certam, & Suprema, ad qua  
Piissimus anhelabat, imminere, Suos ad se vocavit, de  
domo sua, juxta Prophetæ monitum, disposuit, & se  
ad exitum, sicut de hac caelesti migratione crebro cogitationem suscipere solitus erat, componere. Praecipue vero caelum cogitare, Suis, & Domesticis omnibus, Minimis etiam, valedicere, animo ita firmiter firmone adeo constante, ut, propè dixerim, mortem potius in timorem conjecturus videretur, quam ut eam ipse exhorresceret. Accedebant amplexus mutui & arctissimi; addebantur oscula, quae gemitus jam intercipient, jam ingeminabant. Repetebat identidem, se gaudere plurimum, quod brevi mors factura esset dolorum omnium finem. Quumq; fidei suae confessionem edidisset, & Verendis Mysteriis expiasset animam, salutari Epulo pastus, caelestiq; dapere refocillatus, se DEO permisit, omnemq; salutis spem in Christi Salvatoris meritis posuit, subinde ingeminans:

*Vivo tibi, moriorq; tibi, dulcissime Jesu.*

Usq; adeo in precatatione non defecit, quamdiu vitae ullus superesset Spiritus. Caetera omnia, quae aliena caelestibus, longè ejecit animo. Quando enim



enim magis videret, haud ita longam spem vitæ super-  
esse, tantò ardentius ab rerum mundanarum curâ cogi-  
tationes ad Deum convertebat omnes, ad ultimum di-  
scessum pronus jam & paratus. Imò nihil jam vel  
adeò volupe erat, vel tanti ponderis, ut ultrà allube-  
sceret, quin fastidio potius rerum caducarum duceba-  
tur. Ut qui tantummodò meditaretur cœlestes illas  
laucias, quarum gustum animo præcipiebat. Sic  
videlicet hilari etiam vultu fatalem illum ictum exci-  
pere solent, qui ad eum se composuere iam diu. Con-  
niventibus jam in mortis somnum oculis, inculcabat  
ei Filius CAROLUS adstans: *ecquid Salvatoris sui recorda-  
retur?* Annuebat ille, non parcius loquendo, & sono  
presso, sed exultanti voce; Filiiq; manum arripiens &  
fortiter comprimens, animosè hilariq; fronte respon-  
debat: *bunc intimis cordis mei fibris incidi, hunc fovebo,  
hujus nunquam obliviscar, dum spiritus hos reget artus.*

*Jesu dulcis memoria.*

*Jesum meum desidero,*

*Quàm felix quum invenero!*

*Quàm letus, quum tenuero!*

Atq; ita, superveniente nova facie lunæ, acquievit le-  
nissimo resolutus obitu, inter lacrimas suorum, & pre-  
ces, plenus fidei ac spei Christianæ, animamq; trium-  
phatori mortis, vitæq; æternæ autori reddidit, adeò  
placidè ut somnum capienti similior videretur, die  
duodecimo Januarii circa primam noctis, quum an-  
num octavum & quinquagesimum supra dimidium  
confecisset.

*Ita Heymannus, qui à Bonis natus, honestè vixe-  
rat,*



rat, & de omnibus præclarè meritis fuerat, beatissimè  
terris excessit, & non tam obiit, quàm abiit in cœle-  
stem CURIAM, ubi beatus ævo fruitur sempiterno.

Quàm grave autem vulnus ex hujus viri morte  
Civitas acceperit, facilè conjicere est, squalorq; ille  
partim, & dolor publicus ostendit. Confluebat ho-  
minum turba, ex Summis, Imis, Medioxumis, ut dixe-  
rim, vix frequentiori pompâ, aut honorificentiori ex-  
sequias celebratas fuisse. Luget vidua mœstissima,  
lamentis exhausta, suspiriis collapsa: lugent Filii, lu-  
gent Nepotes, lugent Adfines, quorum illi Patre, hi  
amico, omnes autem optimis ejus consiliis orbati sunt.  
Mœret Senatorius Ordo, afflicta Curia, quæ caput  
suum amisit. Mœret PATER PATRIÆ, adeoq; luctus  
sui interpretem, qui funus comitaretur, Legatum mi-  
sit splendore & dignitate Eminentissimum. Pariq;  
gratiosissimo adfectu *Prægloriosissimus Princeps* DOMI-  
NUS JOH. GEORGIUS ipsum honoravit per Legatum  
Illustrem ac Generosum.

Nobis ex hac morte accidit malum, accidit Ec-  
clesiæ, accidit Scholæ, accidit Bono publico, quia  
*magna eorum raritas & inopia est, qui quum queant, re-  
juvare velint.* Sed quis exostulabit cum POTENTIS-  
SIMO, aut OPTIMO etiam succensebit? *Quod Domino  
placuit factum est.* JOBUS, quum universa liberorum  
turba periisset, non ejulavit, non evulsit sibi comam,  
vocem ingenerosam nullam emisit. Amat omninò ad-  
fligi à Domino Pius, nec eum de mentis statu dejicit  
vel Jobus ulceribus scatens, vel Lazarus de petigine  
squalidus, vel aliud quid calamitosum ac triste. Co-  
gnoscere inde datur, eo ingenio res esse humanas, ut  
nihil



nihil reperiatur tam firmum, quod non resolvat casus aliquis, & cum non finis suus a fato instet. Occidunt orta omnia, & sua etiam marmoribus ac saxis mors venit. Nec ullus Euripus adeo instabilis est, neq; Ægæi maris fluctus tam impetuosus ac turbidi sunt sub Arcturi occasu, quam humanæ vitæ ingenium esse solet. Et inde sistemus lacrimas. Potius erit admirari *Defuncti* virtutes, & earum formas imitari. Is verus honor est & pietas. In nullâ re melius Bonorum memoriam, quam in exemplis servare licet.

Finis ergo esto singultientis sermonis, desinamusq; adeo

*— — turpi lacrumâ precibusq; pudendis  
Fœmineum tenues ululatum fundere in auras.*

Frustrâ est querela, quæ piè mortuum restituere vitæ isti nec valet, nec expedit. *Qui nos præcessit propediem sequuturos, ea colit loca, ibi nos expetit, nos expectat, ubi claritas divini luminis undiq; dispalescit: quam non obscurant tenebrae: non obumbrat nox; non consummat vetustas: quam Sol justitiæ illustrat: Lux illa purissima, quæ non clauditur loco, non fimitur tempore.*

Tu igitur, BEATE HEYMANNE, cui jam præter ultimum Vale nihil dicere possum, felix es, semotus a rebus nostris, non angeris iis incommodis, cum quibus nos quotidie, dum in terris sumus, luctamur. Decessisti hac vitâ, ut illam alteram & cœlestem, quæ aliter nobis non constat, auspicereris. Ante divinæ majestatis thronum, in sinu Christi sospitatoris, in Angelorum contubernio, triumphas, & non desituris unquam, neq; remissuris perfrueris gaudiis. Jam in cœlo constitutus es cum servo fidei super omnia bona cœle-

*Sil. Ital. lib.*

12.

*Gregor.  
Psal. 7.  
pœnitent.*



\* מוּר  
mors, per  
Anagram.  
וּרְפֵּי  
per-  
fectio. Per  
mortem e-  
nim ad per-  
fectionem  
pervenim9.

Juven. sat.  
8. v. 3.

coelestis Patris familias. Jam possides paratū tibi regnum  
à mundi constitutione, quod seculis durabit innume-  
rabilibus. Jam perfunderis gaudio, quale nec conspexit  
ullus, nec fando accepit, nec mens comprehendit etiam  
capacissima. Jam Curiam tenes sanctissimam, cui nullæ  
cure appropinquare possunt, ubi Christus caelestis curiæ  
Præses \* perfectio nostra est, ex cujus plenitudine acci-  
pimus, quotquot jus filiorum consequuti sumus. Jam  
liberatus ab omni malo, conjungeris cum SUMMO  
BONO: periculi ac doloris expers, diem agis semper se-  
curam, semper lætam.

Hæc sola sunt, quæ hominem post obitum verè  
reddunt beatum: non Exsequiarum luxus pompaticus:  
non si ostendantur *pietivultus*

*Majorum, & stantes in curribus Æmiliani.*

Non Mausolea insani sumptus. Cujus generis  
omnia, quum superstes de funere statueres, penitus  
refugiebas. Gratulor tibi de tantâ felicitate, teq;,  
BEATE, veneror, quò hunc à me *Supremum Honorem* in  
conjunctissimi amoris tesseram accipias.

*Sic nove sancte vale Cœles, requiesce BEATE*

*Illo virtutum sub tumulo cumulus.*

*Vives perpetuò nobis, tua fama manebit,*

*Sub cumuli tumulis intumulatus eris.*

Tandem, JOVA BENIGNISSIME, qui nutu cœlum &  
terram concutis atq; temperas, sana, quos lacerasti, cura,  
quos percussisti. Solare Viduam, solare Filios, solare  
Nepotes, & toti inclut & familie Heymannianæ perpetuam  
largire felicitatem! Statuant mœrori modum qui con-  
tristati fuerunt. Vivat DEFUNCTUS NOSTER quemad-  
modum



modum Ambrosius ille Nectare & Ambrosiâ innutri-  
 tus, in funere *Theodosii* dicebat: *non recessit Imperator:*  
*reliquit enim liberos suos, in quibus cum debemus agno-*  
*scere, & in quibus cernimus & tenemus.* Intelli-  
 gebat autem HONORIUM ET ARCADIUM, qui  
 Patri in Imperio successere. Sarcis nobis, quoniam  
 cœlesti tuæ placuit providentiæ CONSULEM nostrum è  
 terris subtractum cœlo addere, jacturam. Sarcis di-  
 spendium & damnum virtute SUCCESSORIS. Suffice  
 Alium pium, prudentem & justitiæ tenacem in ejus  
 locum, qui gloriæ divinæ sanctius promovendæ invi-  
 gilet, qui salutis publicæ succurrat, qui Musis, & Scholæ  
 nostræ faveat, melioremq; ac florentiorem reddat sta-  
 tum. Conserva SENATUM INCLUTUM contra omnes  
 seculi insultus, omnesq; temporum ac fatorum minas  
 perpetuò indemnem, faustum, felicem. Conserva  
 eum contra omnia pericula, contra clades & rerum  
 commutationes, quas cœlum loquitur, quas insolitæ  
 aquarum inundationes, nullis antè memoratæ Annali-  
 bus, per totam Europam portendunt. *Aqua multa,*  
*populi multi,* inquit Sacra Scriptura. Etenim aquas  
 nunquam frustra intumuisse, aut ventorum turbines  
 insolentiore tumultu impunè increpitasse, nullæ non  
 gentes suis experimentis, juxta atq; mox insequutis  
 cladibus didicerunt vel maximè luctuosis. Utpote quæ  
 peregrinorum exercituum incursionibus, direptioni-  
 bus, depopulationibus, incendiis, cæde, fame, peste, fue-  
 rint vel penitus devastatæ, quod de facili esset ostendere.  
 O *supreme Pater, moderator & autor AQVARUM,*  
*Qui tempestates, qui regis omne, Deus.*  
*Respice nos facili vultu, miserere precantum.*  
*Parce ira, & populo da bona fata tuo.*

*Apoc. c. 17.*  
*v. 15.*

D

Non



*Non estus, ventiq; graves, non lymphæ, nec imber,  
Quâ data porta, ruat, officiatq; crepax.*

*Da, semper maneat nobis Pax aurea, justos*

*Da, qui defendant justitiamq; viros.*

Conserva SENATUM NOSTRUM, Sana vulnus, quo mœstissimam CURIAM, intra sex septimanas, secundâ vice, hac cicatrice nondum obductâ, nudiustertius iterum fauciat, & tertium CONSULEM, qui admodum tenui est valetudine, cuiq; cum Hygiæ non benè convenit, nostris largire precibus, & diu salvum ac sanum conserva. Conserva omnes *Senatores & Assessores* in solatium & patrocinium Musarum nostrarum relictos. Conserva MAGISTRATUM *Summum ac Imum, Politicum, Ecclesiasticum*; & largire Spiritum veritatis, sapientiæ, intellectus, quò animarum salutem, corporum incolumitati, fortunarum indemnitati consulere, ipsamq; Rempublicam justè, sapienter, fortiter, ad divini Nominis gloriam, gerere queat. Conserva totam urbem, omnesq; in eâ habitantes. Concede gratiosè, ut & in posterum DRESDA NOSTRA hanc laudem retineat, *quod sit munifica Docentium nutrix, benefica Discipulorum alitrix.* Conserva SCHOLAM NOSTRAM, cui divina gratia, per hos duodecim, quibus eidem præfui, fermè annos, adeò benedixit, ut octodecim & Discipulis nostris, in vineam Christi vocati, (ut Alios in præsens, qui vel ad politica officia eVecti, vel in Academiis præclarissima Eruditionis specimina adhuc edunt, taceam) in Ecclesia, cum laude Deo inserviunt, Conserva proporrò eandem, ut perinde atq; Anthemis, quæ, quò magis deprimitur, eò lætius se diffundit, ad omnes novercantis fortunæ impulsus duret, & in Dei glo-



gloriam, palmæ instar, magis magisq; crescat. Conserva  
eam quæ quoties pro æternitate Reipubl. pro Benefa-  
ctorum incolumitate, pro MAGISTRATU suo vota nun-  
cupat, (nuncupat autem dies noctesq; ardentissima)  
toties pro sua felicitate vota se nuncupare arbitratur.

**Schediasma tralatitium,**

QVO B. CONSULIS funus in ipsis comitabar exsequiis  
d. 12. Jan. Anno 1651.

**I**ndue te mœsto latus obvelata theristro,  
In lacrumasq; oculos, pia *Dresda*, resolve madentes.  
Indue pullato *curarum* CURIA abundans

Te panno. Integritas plora, fle parcere fata  
Nescia: cuiq; suum tribuens *Astræa* gemisce.  
Plange Themis, lacruma, singulta Candor ab imo  
Pectore. Musa dole. *Vixit, quem vivere fas est,*  
*Grande nefas potuisse mori.* Spes vestra, *Camenæ,*  
Concessit fati. HEYMANNUS concidit ille.

Ite Decor, Charitesq; nigræ ad solennia pompæ,  
Et ferrugineâ vestigia verrite pallâ,  
Molliaq; alternis contundite pectora palmis.  
HEYMANNUS, (vox singultu, mens ebria planctu!)  
Eripitur nobis, qui servantissimus *Æqui,*  
Prudens Bulevtes: fiducia magna Nepotum,  
Natorum prædulce Decus, Stirpisq; Domusq;  
Præsidium, *Sancti* fulcrum columenq; *Senatus.*  
*Omnium Amor,* Patris, quem summus, & imus amabat,  
Instar, succumbit vi mortis. Fletus ubiq;,  
Exter & internus dolor est. Deplorat Atlantem  
*Curia*, deplorat Patrem concivis ademptum.



Fert durum silicem, indomitumq; adamantæ rigenti  
Pectore, qui viduæ planctum, & lamenta *Nepotum*,  
Immotis animis, oculisq; arentibus haurit.

Antiqua poterat specimen probitatis haberi,  
Ore, manu, vitâ cupidus prodesse vel omni!  
Exemplumq; probæ vitæ, virtutis asylum  
Differere appositè poterat de rebus & aptè.  
Mitis ei gravitas, & dives gratia fandi:  
Ingenium promptum, longa Experientia rerum;  
Felix iudicium, pia mens, & *Candor* apertus.  
Non suspensa loqui poterat, suspectaq; verba:  
Ludere Mæandris odit cane pejus & angue.  
Sermo erat: *Est. Non est.* Vapido sub pectore vulpem  
Astutam non servabat. Ceu candida lingua:  
Candida mens ita erat. *Virtus decet illa Regentes.*

Felicis Miseriq; nefas pensabat eadem  
Justitiæ trutinâ, pariliq; examine nutus.  
Non molli, auxilio, tantum ille ad famine, egentes,  
Verùm re placidus consolabatur & ipsa.  
Compositum jus, fasq; animi, sanctiq; recessus  
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto,  
Culpariq; fides metuens: industria pernix.  
Hi mores illi. Mens hæc immota sedebat,  
In *Commune Bonum* totas impendere vires.  
Quod nemo poterit, nisi Vappa, negare, vel excors.

Has animi dotes deplorat quilibet. Adstant.  
Lugentes Musæ. Justis Clothoq; querelis  
Incusat duram Lachésin, Lachésisq; fecantem  
Atropon. Et facti properati pœnitent ipsas.

Me simul & flevisse juvat. Licet invida Pallas  
Ora Medusæis mea non madefecerit undis.

HEY.



HEYMANNUM nostrum poterit luxisse beatum,  
Qui cecinisse nequit. Si non licet esse Poëtam,  
Hoc saltem licet, esse pium. Quod sicca negavit  
Vena, dolor supplere potest. Placatur egeno  
Farre polus. Capiunt summos exilia Divos  
Munera. Nec sanctum reddit facundia votum,  
Sed pietas incompta placet. Nec gratior astris  
Ille litat, qui magna litat. Vilissimus ales  
Quantum vacca potest. Facit *observantia* versum,  
Si natura negat. Qui dignus vivere in annos  
Innumeros, nimium subito pia Fata reposcunt.

Scilicet hospitium terra est, non propria sedes,  
Nec data mancipio, sed in usum vita, datori  
Quotidie reddenda suo. Sua funera secum  
Circumfert moribundus homo. Cras jusserit? ito:  
Res compone tuas. Fatum venit omnibus unum;  
Quotq; videt natos velle, tot funera & effert.  
Ortum quicquid habet, finem videt. Urna movetur  
Omnibus. Ad metam cunctos immotus eandem  
Trames agit tandem. Datus hic mortalibus ordo,  
*Nasci-denasci*. Velut ille reciprocatur anni  
Ortum obitumq; sui Titan. Non robore Milo  
Elusisse rogam poterat. Nec fata Machaon  
Excludit, non divitiæ, diademata, fasces,  
Non sceptri regalis honos. Dum vivimus inter  
Mille modos agimus lethi. *Mors omnibus æqua.*

Cœlum animæ patria est. Cœlum spiremus & illos  
Elysii campos: sedes ubi certa beato  
Expectanda gregi. Felix, qui vescitur illic  
Ambrosiæ succis, & odori Nectaris haustu!  
Patria ubi vera est, cœli quæ lacteus orbis





Parte micat, *Domus Heroum, Patrumq;* beata,  
Qvâ, qvi de Patriâ meriti benè, sede fruuntur.

Gaudia ibi carpit modò, qvæ speraverat absens,  
NOSTER. Ibi mentis mœror procul exulat omnis.  
Non venit ad dubium grandi cum codice nomen,  
Nulla immensa cavi spirant mendacia folles,  
Conspuiturq; sinus. Non surgit pallidus Ajax,  
Dicturus dubio pro nomine verba clientis.  
Garrula verba ibi non audit, strepitumq; forensem.  
Omnes æterno damnantur funere lites.  
Nulla timenda ibi sunt fera scommata, iniqua Theonis  
Judicia injusti; sed pax & gaudia, & Æquum,  
Et tranquilla quies, & permansura voluptas.

*Curia* in hac faustâ felix, HEYMANNE, quiescis,  
Et vacuus *curis securo* lumine rides  
Nil profecturis tot inania somnia *curis*,  
Qvæis torquemur humi, nostrosq; eludimus annos.

Non ergò est tua fata qveri fas porrò, *Beate*  
*Cœlestis Patriæ Consul*. Diffundere questus  
Non fas ulterius. Clamore reducere functos  
Non licet. Ergò vale! Longè meliore beatus  
*Consul in urbe regis*. Sanctos Divinior Aura  
Inter Cœlicolas vivis: cognataq; cernis  
Sidera, mortaliq; sedens excelsior, orbis  
Despicias orchestram, mutando lubrica vitæ  
Cuncta hujus miseræ cum cœli gaudio. Ad astra  
Unde prius vitæ duxisti scilicet ortum,  
Migrâsti rursus. Moreris, vivisq; JHOVÆ.  
Qvotqvot enim CHRISTO vivunt, moriuntur eidem.  
Nos potius qverimur, qvi cœcis flebile fatis

Ludi-

*Vid. Som.  
Scipion. Ci-  
ceron.*



Ludibrium debemus, & omni volvimur æstu  
Curarum. Premimur. Tu gaudes sidus olympi,  
Inq; tuis NATIS, quæ vix millesimus ausit  
Sic sperare, vides mera gaudia, lætitiãq;  
NATORUM in NATIS. Spectas & Honoribus auctos,  
Et benè felices. Sic est. Quum vivere cessant  
*Illustres animæ, vivunt, per inania pennis*  
Vivacis niveis famæ rapiuntur, & unà  
In NATIS vivunt. Redivivo ut funere Phœnix  
Dum super Assyrios extinctus nascitur ignes,  
Heres ipse sui est. Sic sunt natalia magnis  
Fata viris. *Non demoritur, qvi linquit euntes*  
*Patris in exemplum NATOS, virtute potentes.*

Atq; hinc desinimus lacrumarum. Sit modus ipso  
In luctu. Quiqui es, fragilem te noveris esse.  
Nulli parcit atrox Parcæ manus, æquaq; sortis  
Demissæ, summæq; homines, æviq; supremi,  
Et medii, primiq; rapit discrimine nullo.  
Una eademq; terenda via est mortalibus. *Ad se*  
*ô Felix, quem sic in cœlum adsumpsit Jova!*

Finio. CHRISTE, tuo minue hunc solamine luctum,  
Adflictas leni mentes, medicare dolori,  
*HETMANNIq; Domum custodi perpete curâ,*  
Custodi *Viduam, Natos, defende Nepotes,*  
Respice, conserva, recrea, solare, relictos.  
Felices præsta *PATRES, sanctumq; SENATUM*  
Æternum præsta florentem, & inusq; tuere!

Inq; locum HETMANNI, jam qui succedat avitâ  
*Pollentem virtute Virum, justumq; piumq;*  
Suffice nunc Alium, qvi jus tueatur & Æquum,

Pu-



76 6805 OK

Pupillos qui respiciat, viduasq; benignè,  
Cui cordi *Musa* miseræ pressæq;. Patronos  
Suffice, CHRISTE, tua ut ne *Laus* minuatur & illa  
*Gloria. Honos* agitur tuus & RES *sancta. Juvabis.*  
Suffice, ( vince fides! ) *Tutores* quæso faventes,  
Quò conserventur Subjecti, quoq; Regentes,  
Quò conserventur Discentes, quoq; Docentes,  
*Gloria* quò *Nomenq;* tuum celebrentur in ævum!

Sir. 42. v. 15. 16.

Ein guter Name bleibt gewisser denn tausend Schätze  
Goldes. Ein Leben / es sey wie gut es wolle / so wäret es eine  
kleine Zeit / aber ein guter Name bleibt  
ewiglich.

F I N I S.



1077

M.C.



Q.N. 248.

13

DN. VI  
Laudatisfi

Confu  
Patroni su

M. Joh

Dresd

NNI,  
esdenfis

Beati,

Cæs.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
Black

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color